

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Tractatus ascetico-theologicus de religione s. de statu religioso -
Ettenheim-Münster 100

Cartier, Gallus

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput tertium

[urn:nbn:de:bsz:31-110938](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-110938)

29.
tationes, vexationes, amissiones, necessitates, infir-
mitates, injurias, oblocutiones, reprehensiones, hu-
miliationes, confusiones, correctiones et despectio-
nes. Hæc probant Christi Tyronem, hæc jurant
ad virtutem, puta charitatis, quæ est vinculum
perfectionis, ad quam consuevenda omni opo-
ram ac Studium te impendere oportet, ut cum Apos-
tolo Rom. 8. tandem dicere valeas: Nihil me separa-
bit à charitate Christi? neque mors, neque vita,
neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes,
neque creatura alia poterit me separare à chari-
tate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

Caput tertium.

De iis, qui Religionem ingredi possunt.

Conclusio prima.

44.

Quivis sui juris homo Religionem ingredi potest.
Ita S. Thomas hic q. 189. art. 1. et Communiter
Theologi.

Prob. Quia in arbitrio est cujusvis hominis, si
tamen sui juris sit, ut talia eligat media, quibus
eò certius suam salutem operari possit. Atqui
ingressus in Religionem est tale medium, quo
quis certius suam salutem operari potest; nam,
ut ait S. Bernardus in quadam Homilia, Reli-
gio talis est status, in quo homo vivit purius, ca-
dit varius, surgit velocius, incedit cunctius, invo-
ratur frequentius, quiescit securius, moritur fi-
ducialius, purgatur citius, premiatur copiosius.
Ergo.

Dices. Qui sunt natalium vitio notati, et omnes - 45.
criminum infamia infecti, sunt sui juris, et tamen
vi Constitutionis Sixti Papa V. nequeunt in Reli-
gionem suscipi. Ergo.

Resp. Quod hanc Constitutionem abrogavit Gre-
gorius Papa XIV. vid. Azor. hic c. 3. q. 2. Satemur
tamen minus convenire, ut tales suscipiantur.

Conclusio secunda.

46.

Qui est obstrictus alteri, non potest Religionem
ingredi, nisi cum consensu alterius. Ita rursus

30.

Theologi communiter.

Prob. Inia Deo nequit esse auentabile, quod fit cum injuriâ alterius. Atqui palam est, quod, qui est obstrictus alteri, ingrediendo Religionem absque ejus consensu, eidem inferat injuriam; eò quod jus ejus laedit. Ergo.

47. Inferes 1^o. Episcopum non posse ingredi Religionem nisi cum consensu Papae. Ratio est, quod tanquam Sponsus sit obligatus huic Ecclesiae velut Sponsae. Ergo sicut Maritus non potest ingredi Religionem sine consensu conjugis, prout mos dicemus, ita nec Episcopus sine consensu Summi Pontificis, qui est Caput omnium Ecclesiarum.

48. Inferes 2^o. Conjuges, confirmato matrimonio, non posse intrare Religionem sine alterius consensu; quia unus Conjugum est in potestate alterius. De hoc fruius tractant Canonista in lib. 4. Decretal. De Convers.

Conjugat.

Z 49. Inferes 3^o. Idem non posse Religionem intrare, qui Virginem sub verâ vel etiam fictâ promissione matrimonii defloravit, sed tenetur eam ducere, si paris cum eo sit conditionis, prout passim docent Doctores; modo tamen ipsa omnem aliam satisfactionem reuset. Ratio est; quia sic puella promittendo eidem jam se obstrinxit, à quâ proinde promissione nequit recedere propter gravem injuriam, qua exinde huic deflorata puella obveniret.

50. Inferes 4^o. Idem etiam non posse Religionem ingredi, qui creditoribus non sunt solvendo, si intra paucos annos manendo in saeculo eis satisfacere possent; si autem non sit probabilis spes satisfaciendi intra idem tempus, vel si diutius manentes in saeculo incurrerent notabile ~~notabile~~ periculum salutis, poterunt Religionem ingredi relinquendo bona sua creditoribus dividenda pro rata. Ita S. Thomas 2. 2. q. ult. art. 6. ad 3. Nec Monasterium taliter obstrictos admittens, tenetur ad quicquam solvendum, nisi quatenus ex ingressu

illorum factum est boupletius; Scius dicendum, si bre-
vi tempore in saeculo eos satisfacturos scienter admi-
sisset. Sancti Gadelens. Trait. 2. Sect. 2. Dub. 1.

Inferes 5^o: Non posse ingredi Religionem rationi- 51.
bus reddendis obnoxios; quia illorum persona est ad ta-
lem functionem obstructa; prius igitur se ab illis
expediant, oportet.

Inferes 6^o: Quod etiam Servus legalis, seu, utro- 52.
cant, mancipium non possit ingredi Religionem abs-
que consensu sui Domini; quia Servus est Domini
juris, non vero sui; unde sine Domini injuria non
potest Religionem se addicere, et in illius potestatem
concedere. Habetur expresse in Cap. Servus. et Cap.
Si quis inognitus. 17. q. 2.

Inferes 7^o: Impuberes non posse ingredi Religio- 53.
nem; quia in omnibus submittunt parentibus, vel tu-
toribus suis, seu Tutoribus.

Inferes 8^o: Filios impediri ab ingressu Religio- 54.
nis ob inopiam parentum, si videlicet paren-
tes sint in tanta necessitate, ut eis non aliter, ni-
si per filiorum obsequium possit commodè sub-
veniri. Ita S. Thomas hic. a. 6. in Corp. Et ratio
est; quia liberi de jure natura obligantur
parentibus in magnâ necessitate constitutis
subvenire. Sed

Dubitatur 1^o: An filius in Religione jam 55.
professus egredi teneatur, repugnanter etiam
Superiore, si parens esset in extremâ neces-
sitate?

Resp. affirmative, nisi ei aequè succurratur
à Monasterio, vel aliunde; nam fortius est
preceptum charitatis omni alio precepto aut
obligatione Superioris. Tenetur tamen Re-
ligiosus egredi servare vota substantialia, et,
cessante necessitate extremâ parentis, iterum
redire ad Monasterium. Si tamen parens esset
solummodo in gravi necessitate, tunc tenebitur

32.

filii egressi, si ante ipsius professionem parens
in eam invidet; seu dicendum, si post ipsius
professionem id evenisset. Sangalens. lib. n. b.
56. Dubitatur 2^o. An, si filius, prius cognita paren-
tum necessitate, nihilominus professionem faci-
at, licite et valide profiteatur?

Resp. Talem valide quidem professionem emit-
tere, quia ipsa nullo iure irritatur; sed tamen
illicite; quia agit contra pietatem, quâ erga
parentes obstringitur. Hinc etiam, talem sus-
cipientes licite, peccarent; non tamen tene-
rentur ex Monasterii rebus succurrere sui pro-
fessi parentibus, nisi illud in bona professi
succederet.

Aphorismi.

57. I. Nemo, qui sui juris est, ingredi Religionem
prohibetur.
II. Qui alteri obstrictus est, ut Episcopus sua Ecle-
sia; Coniux Marito et vicissim; impuberes pa-
rentibus vel tutoribus, p. Religionem se mani-
pare nequeunt, nisi prius illius, cui obstricti
sunt, consensum obtinuerint.
3 III. Jus natura adeo filium devincit parenti,
ut hic in extremâ necessitate constitutus à
filio professo; etiam dimissa Religionem, si
opus fuerit; succurrere debeat.
IV. Si parens sit tantum in gravi necessitate
constitutus, filius nondum professus et adhuc
in Novitiatu degens egressi tenetur, ut ei suc-
curat; seu autem si parens ipsius post eius
professionem in huiusmodi gravem necessita-
tem primum incidisset.
V. Filius, qui ante professionem extremam
vel gravem parentum necessitatem cognovit,
illicite quidem, sed tamen valide proficitur;
et Monasterium talem suscipiens etiam pec-
cat, p.

Documentum.

33.
58.

Quamquam arbitremur, paucos esse Novitios, qui hujusmodi impedimentis, quo eis ingressum in Religionem vetare possent, affecti sint, necdum tamen existimare debent, se jam aptos esse, ut in eadem professionem emittant; prius enim investigare oportet, quo Spiritu ad Religionem convolarint. Probate Spiritus, si ex Deo sunt, inquit S. Joannes Ep. i. c. 4. v. 1. hoc est, prius examinandum, an ex impulsu Spiritus sancti, vel potius carnis, eò quod sibi et in Religione multa etiam carnis seu corporis commoda reperiantur, in eandem se contulerint. Si spiritus carnis illis ingressum suavit, Religione sunt potius indigni: Religio quippe est Status eorum, qui quotidie crucifigunt carnem cum concupiscentiis suis, estque, ut quidam ait, continua natura violentia. Quod si dicant, impellente Spiritu sancto se munitione saeculo remississe, id opere comprobabunt, si sollicitos ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria patienter ferenda se se exhibeant. Hæc enim sunt, quibus teste SSimo Legislatore nostro Benedicto Reg. c. 58. dignosci potest, nimm bono Spiritu duatur Novitius Religionem profiteri cupiens. Videant igitur Novitii, quemadmodum nihil aliud, quam Deum querere, ac patientiam in omnibus servare debeant; sciant proinde, quod, si desideria carnis perficere studeant, Opus Dei negligenter peragant, injurias impatienti animo tolerant, propriam voluntatem abnegare tergiversentur, minus idonei sint, ut Religio eos in suum gremium recipiat; alioquin certe cederet hoc illis in perniciem: Qui enim in eà aliud querit, quam prò Deum, ac anima sua salutem, non inveniet nisi tribulationem et dolorem, inquit gersen noster lib. i. De imit. c. 17. Aut igitur deponant veterem hominem, et induant novum, qui secundum Deum creatus est in justitiâ et sanctita-

34. te; aut ipsis à locis sanctis Religionis recedendum est.

Capitulum Quartum.

59.

De Novitiatu.

Circa Novitiatum alia requiruntur ex parte suscipientium; alia ex parte Novitii suscipiendi; alia denique sunt necessario observanda in Novitiatu. Hæc distinctis §§. exponimus.

§. Primus.

Expenduntur conditiones requiritæ ex parte suscipientium ad Novitiatum.

60. 1^a Conditiō ex parte suscipientium est legitima potestas recipiendi ad probationem, ac postea ad Religionem profitendam. circa quam potestatem. Sit.

Conclusio 1^a.

61. Ad validam Novitii susceptionem probabilis est, necessario requiri Abbatis simul et Capituli secundum majorem illius partem consensum. Ita communior Theologorum.

Prob. Quia in gravioribus negotiis Abbas tenetur requirere consilium et consensum Capituli vel sanioris ejus partis, juxta Cap. Quantò. et Cap. Novit. De his que fiunt à Prelat. sine consensu p.

4

Atqui admissio ad Novitiatum est unum ex gravioribus negotiis, ut patet. Ergo. Id quoad Nos Benedictinos etiam constat ex c. 3. Reg. Et sane hæc est praxis omnium fere Ordinum Religiosorum.

62. 2^a Conditiō, saltem ad licitam et circumscriptam susceptionem Novitii, est informatio instituenda super vitâ, moribus, qualitatibus, parentibus ejus, &c. Ita habet Constitutio Sixti V. qua incipit: Cum de omnibus Ecclesiasticis Ordinibus. De qua dubitari potest, num sub gravi obliget. pro quo Sit.

Conclusio 2^a.

63. Lex hujus informationis instituenda videtur obligare sub gravi.